Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26856
Copyright: Admont, Benediktinerstift

iuda munitas et cepit eas. Et misit
rex assyriorum rapsacen de lachis in
ierusalem ad regem ezechiam in many
grauii & stetit in aquaeductu piscine
superioris in uia agri fullonis. Tu.
℟. Ecce apparebit dominus
super nubem candidam et cum
eo sanctorum milia & habet
in uestimento & in femore suo scriptum
rex regum & dominus dominantium.
℣. Ecce dominator dominus cum uirtute ue-
niet. Et habet in uestimento. Y. ii.
Et egressus est ad eum eliachim
filius helchie qui erat super domu.
& sobna scriba. & ioe filius asaph
a commentariis. Et dixerunt ad eos rapsa-
ces. Dicite ezechie. Hec dicit rex
magnus rex assyriorum. Que est ista
fiducia qua confidis. aut quo con
silio uel fortitudine rebellare dis
ponis. ℟. Bethleem ciuitas dei sum
mi ecce exiet dominator israhel & e
gressus eius sicut a principio dierum
eternitatis et magnificabitur in medi
o uniuersi terre et pax erit in terra no
stra dum uenerit. ℣. Deus a libano ue
niet et sanctus de monte umbroso et con
denso. Et pax erit. iii. Super quem ha
bes fiduciam. quia recessisti a me.
Ecce confidis super baculum harun
dineum confractum istum super
egyptum. cui si innisus fuerit ho
mo intrabit in manum eius & pfo
rabit eam. Sic pharao rex egyp
ti omnibus qui confidunt in eo. Quod
si responderis mihi in domino deo nro
confidimus nonne ipse est cui abstulit
ezechias excelsa & altaria. & dixit
iude & ierusalem coram altari isto ad
orabitis. ℟. Qui uenturus est uenet
et non tardabit iam non erit timor in fi
nibus nostris quoniam ipse est saluator
noster. ℣. Ex syon species decoris eius de
noster manifeste uenet. Quoniam. iiii.
Et nunc trade te domino meo regi assy
riorum. & dabo tibi duo milia equorum.
nec poteris exterere ascensores
eorum. Et quomodo sustinebis faciem
iudicis unius loci ex seruis domini mei
minoribus. Qd si confidis in egypto
in quadrigis & in equitibus. & nunc
numquid sine domino ascendi ad terram
istam ut disperderem eam. Dixit dns
ad me. Ascende super terram istam. et
disperde eam. ℟. Exultent montes
iocunditatem et colles iustitiam quia
lux mundi dominus cum potencia uenit.
℣. Letamini cum ierusalem et exultate in ea
omnes qui diligitis eam. Quia lux. In. ii. ij.
.a. Bethlehem non es minima in principi
bus iuda ex te enim exiet dux qui regat
populum meum israhel. ipse enim saluum
faciet ppln suum a peccatis eorum. ℣.
Et dixit eliachim & sobna & ioe
ad rapsacen. loquere ad seruos tu
os syra lingua. intelligunt enim.